The Digital *Liber exceptionum* Project (https://exceptiones-project.wlu.ca)

Augustinus de musica (fol.3va)

1. Post magnas curas relaxandi. et reparandi animi gratia moderatissime a magnis uiris aliquid uoluptatis assumitur. quam interdum sic capere. modestissimum est. ab ea uero capi. uel interdum turpe atque indecorum est.

   Nam magni uiri, etsi musicam nesciunt, aut congruere plebi uolunt, quae non multum a pecoribus distat et cuius ingens est numerus, quod modestissime ac prudentissime faciunt (sed de hoc disserendi nunc locus non est), aut post magnas curas relaxandi et reparandi animi gratia moderatissime ab his aliquid uoluptatis assumitur. Quam interdum sic capere modestissimum est, ab ea uero capi uel interdum turpe atque indecorum est.

   Augustinus Hipponensis, *De musica*, 1.3.4 (CSEL 102, M. Jacobsson ed., p.74, ll.21-26).

2. Non sunt contempnenda uetusta uocabula. nec facile a consuetudine recedendum. nisi que rationi aduersatur. Non queramus origines nominum. multum enim habet ista res loquacitatis. utilitatis parum.

   Sed quia non sunt contemnenda uetusta uocabula nec facile a consuetudine recedendum nisi quae facile rationi aduersatur, utendum est his nominibus pedum, quae Graeci instituerunt et nostri iam utuntur pro Latinis; quae plane ita usurpemus, ut non quaeramus origines nominum. Multum enim habet ista res loquacitatis, utilitatis parum.

   Augustinus Hipponensis, *De musica*, 2.8.15 (CSEL 102, M. Jacobsson ed., p.107, ll.5-10).

3. Anima sedatis motibus suis. quibus in exteriora prouehitur agit ocium intrinsecus liberum. quod significatur sabbato. si cognoscit solum deum esse dominum suum. cui uni soli. summa libertate seruitur.

   Ita sedatis motibus suis, quibus in exteriora prouehitur, agit otium intrinsecus liberum, quod significatur sabbato. Sic cognoscit solum deum esse dominum suum, cui uni summa libertate seruitur.

   Augustinus Hipponensis, *De musica*, 6.5.14 (CSEL 102, M. Jacobsson ed., p.204, ll.7-9).